



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum


Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Decisio CXX. De Religiosis mulieres post partum ad Purificationem in sua
Ecclesia admittentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

DECISIO CXX.

De Religiosis mulieres post partum ad
Purificationem in sua Ecclesia admitten-
tibus.

SPECIES FACTI.

Familia Religiosa Ordinis Mendicantium in quoddam oppidum post multas tricas admissa suis sacris obsequijs oppido impensis ac zelô suo ita sibi demerebatur ac in amorem sui traherat inquilinos, maxime civium conjuges, ut istæ ex speciali erga hos Religiosos fiducia & æstimatione Religiositatis ad illorum Ecclesiam, neglectâ Parochiali, recurrere, & ibi purificationem post partum instituere cuperent, una vel altera vice ob importunitatem etiam ad-

missa à Religiosis. Id resciens Parochus vehementer excanduit, ac iura Parochialia hoc pacto lædi conquectus ad Episcopum confugit, ut

ab ipso decideretur in sui favorem hæc

QUÆSTIO.

An Religiosi, jure Parochiali non gaudentes, in suis Ecclesijs admitttere valeant mulieres ad Purificationem post Partum?

Affirmat quidem cum Lezana, Peyrinis, Pasqualigo P. VViestner b. 1. n. 6. ex ratione, quia Purificatio hæc non est actus necessitatis, seu præceptus in novo Testamento, sed meræ devotionis, adeoque admissio mulierum ad purificationem post partum non est functio Parochialis: quid nî ergo à non Parochis fieri queat? cum ita declaraverit S. Congregatio 2. Jul. 1620. à qua dicitur expressè, *Regulares non præbiteri in eorum Ecclesijs mulieres post partum ad Purificationem admitttere.*

Sed longè meliùs negatur cum Pignatelli 10. 5. consult. 76. n. 2. seqq. & Monacella p. 1. tit. 10. formul. 18. n. 10. seqq. allegante decisionem S.

Congreg. in Antuerpiensi 19. Nov. 1662. Adeoque (seclusa consuetudine in contrarium) id munus admittendi puerperas ad purificationem privativè ad Parochos pertinet, sicut etiam communiter ita observari videmus. Ratio est, quia hæc benedictio puerperarum & introductio in Ecclesiam fit cum superpellicio, stola, & aqua benedicta, quæ jurisdictionem denotant & functionem parochialem; item fit cum oblatione aliqua: Parochus autem habet intentionem in Jure fundatam in omnibus oblationibus.

Nec obstant in contrarium allegata; nam benedictio Nuptiarum etiam non est sub præcepto,

Q 93 sed

sed de consilio. Trid. sess. 24. c. 1. de Res. Matrim. Navarr. Man. c. 22. n. 83. & tamen privatim ad Parochum pertinet tanquam functio Parochialis. Illa declaratio, ut notat Pignatelli n. 17. præcisè emanavit ad casum particularem, in quo Regulares vi consuetudinis in urbe Bononiensi puerperas in suas Ecclesias introduxerunt & benedixerunt, in quo usu ad concordiam inter Pa-

rochos & Regulares stabiendam. S. Congregatio reliquit Regulares, ac proinde nihil obfuit Parochis, ubi consuetudo sibi contraria non viget, vel nondum est introducta, uti in hoc casu.

* (o) *



TITULUS XLVIII.

De Ecclesijs ædificandis, & Reparandis.

DECISIO CXXI.

De onere construendi & reparandi ædes Capellani.

Species Facti.